



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

Opvscvla Spiritvalia - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae
Christianae. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De
Sacrificio Missae. VI. De Discretionem Spirituum ... Operum Eminentiss.
Cardinalis, Tom. I

Bona, Giovanni

Parisiis, 1677

Ex Praefatione V. Cl. Stephani Balusii ad Capitul. Regum Franc. n. LXXVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9969

Ex Præfatione V. Cl. Stephani Balusii ad
Capitul. Regum Franc. n. LXXVIII.

Litera mea [XI. Kalend. Octob. anni M. DC. LXXIV.]
virum optimum [Cardinalem BONA] invenerunt
in lecto decumbentem ex morbo qui nobis illum abstulit. Et
tamen, quamquam erat oppressus totius corporis doloribus,
statim misit in Bibliothecam Vaticanam; & comperto illis
extare tria vetusta Capitularium exemplaria, referri ad me
iussit; se, statim atque sanitatem suam recuperasset, lu-
benter mihi suam in hoc operam commodaturum. Sed heu!
vir optimus paulò post decessit V. Kalend. Novembris ejus-
dem anni. Cum autem heic Lutetia percrebuisse nuntius de
morte ejus, tantus fuit eorum qui literas amant, dolor, ut
tamen etsi illum vultu voceque palam testarentur, aliis ta-
men animis mœrerent, tanquam si publicus parens universis
ereptus esset. Quis enim non doleret extinctum senem opti-
mum & sanctissimum, in summo dignitatis gradu positum,
plurima bonarum rerum cognitione instructum, quique rem
literariam ornare, juvare, promovere & posset & vellet?
Itaque nemo ferè in hac urbe fuit, eorum videlicet qui no-
stra studia, & ecclesiastice antiquitatis notitiam amant, qui
consilia sua literaria morte ejus intercepta non quereretur;
quia is cunctis suum favorem præstabat, singulis suam ope-
ram commodabat, omnes pulcherrimo & honestissimo com-
movebat & excitabat exemplo. Ego in primis maximam
jacturam in morte tanti viri feci, qui & me diligebat, &
meos qualescunque labores humanissimo suo suffragio com-
probavit. Hoc patrono amisso, &c.